



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

8 Vtrum forma sui stantialis sit vera causa materiæ, & materia effectus eius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

comparatione formae informantis, sed solum comparatione substantiae completae immaterialis. Sicut rem esse simpliciter non est semper maior perfectio, etiam secundum quid, quando talis res ordinatur ad componendum unum aliquid simpliciter perfectius.

Quocirca existimo Aristotelem nullo modo ibi praefere formam composito, sed vel nullam inter ea facere comparationem, vel potius praefere compositum formae, quod notavit Simplicius citato loco, & constat ex versione Argyropoli, quae sic habet: Si forma prior materia est, & magis ens, illud quoque, quod ex ambobus est, prius erit ob eandem rationem. Unde antiqua versio deceptit expostores, quia loco nominatum ipsum, habet ablativum ipsum. Et, quod ad contrarium attinet, haec etiam lectio est magis consentanea intentioni Aristotelis; nam praecipue intendit contra antiquos ostendere, materiam non esse maxime substantiam, sed esse minus perfectam ceteris. Unde postea in text. 8. refert. antiquos dicentes, materiam esse maxime substantiam: ipse vero docet esse impossibile, & concludit, Propter quod forma, & quod ex ambobus substantia videtur esse magis quam materia. Unde in priori comparatione, cum concludit compositum esse prius ob eandem rationem, formaliter quidem, & mediate solum videtur comparari compositum ad materiam, virtute tamen etiam illud praefert formae, dum sic colligit: Forma est prior materia, ergo etiam compositum, eadem (inquam) ratione, scilicet, quia includit ipsam formam, & consequenter est etiam prius perfectione, & nobilitate ipsa forma, cum ad illam ut totum ad partem comparatur.

Ad obiectionem autem in principio positam respondetur negando simpliciter maiorem, non enim est necesse, omnem causam esse nobiliorem effectum, sed solum in aliqua causa efficiente & finalis non vero in materiali ut omnes fatentur, neque etiam in formalis, fere propter eandem causam, quia, nimirum, haec causae intrinsecae ita sunt causae, ut sint etiam partes, & neutra per se dat effectui totam entitatem aut perfectionem eius, sed constituit illum, dando ipsi id quod habet entitatis, ille vero quia confurgit ex multis, evadit perfectior singulis. Unde addi etiam potest effectum superare causam secundum id, quod ab ea recipit: posse autem superare secundum id, quod habet ab alia causa. De quo latius infra; disput. 26. sect. 1.

SECTIO VIII.

Utrum forma substantialis sit vera causa materiae, & materia effectus eius.

I.  Iam non agimus de materia ut informata: de hoc enim dictum est sectione praecedenti, sed de materia quantum ad entitatem, seu quantum ad esse eius. Et ratio dubitandi est, quia tota entitas materiae supponitur ad educationem vel introductionem formae, ergo non potest illa entitas causari à forma: maxime cum materia recipiat esse per creationem, ad quam non potest forma cooperari concusando. In contrarium autem est, quia non repugnat formam esse causam materiae, cum causae sint sibi invicem causae, secundo Physicæ textu 30. & 5. Metaphysicæ textu 2. Item, quia si forma non esset causa materiae, materia posset naturaliter esse sine forma, quia si non est causalitas, non est cur sit dependentia.

Referuntur opiniones.

II. Circa hanc quaestionem variae sunt sententiae, iuxta diversum modum sentiendi de esse materiae.

Qui enim existimant materiam ex se nullum habere esse existentiae, dicunt formam proprie esse causam materiae, quia illud est causa rei, quod dat illi esse. Haec opinio esse videtur D. Thom. 1. par. quaest. 66. ar. 1. & de potentia quaest. 4. ar. 1. quam tenent omnes Thomistae. Capreolus in 2. distinct. 13. quaest. 1. Caietanus de ente & essentia, cap. 5. sub quaest. 9. Ferrar. in lib. 3. contra Gentes cap. 4. Soncin. & Iauell. 8. Metaphys. qu. 1. Idem secutus est Durandus in 2. distinct. 12. quaest. 2. & Argentin. quaest. 1. Modus autem explicandi hanc causalitatem formalem iuxta opinionem distinguentem realiter existentiam ab essentia actuali creaturae, hic esse debet, quod entitas partialis essentiae materiae de se est incapax existentiae, donec informetur forma substantiali: ipsa vero forma secundum suam entitatem essentiae per se primo uniuersum materiae, & cum illa componit unam essentiam integram: atque hic est primarius effectus formalis formae. Ex quo ulterius sequitur, quod forma communice esse existentiae quod secum affert, per se primo composito, & per participationem materiae, siue illud esse manet actiue à forma, seu per resultantiam, siue solum formaliter, quod in hoc solo consistere potest, quod tali formae, vel rei informatae per illam naturali necessitate debeatur tale esse, etiam si à sola causa extrinseca conferatur, à qua fit forma. Et hanc explicationem indicauit Caietanus dicto loco, nec videtur posse convenientius exponi in principiis illius sententiae: nam, si existentia est entitas distincta à forma, non potest ipsum esse existentiae esse primus effectus formae, sed esse essentiae, quod distinctum est; nam primus effectus formae est essentialis rei, quia forma ut forma est de essentia rei; at vero existentia est extra essentiam iuxta hanc opinionem: non ergo pertinet ad primum effectum formalem.

Unde iuxta principia huius sententiae anima rationalis in Christo homine habet proprium & primarium effectum formalem: illo enim priuari non potest si actu informat: & tamen iuxta hanc opinionem non habet propriam existentiam creatam, ergo solum potest forma dare formaliter existentiam secundario, quia videlicet ipsa est vel constituit proprium susceptivum existentiae substantialis, vel (quod in idem fere redit) quia essentiae completae per formam intrinsecè debetur esse substantiale, & non alteri. Sic autem declarata haec sententia probatur primo, quia materia est pura potentia: ergo ex se non habet actum, sed à forma: ergo cum existentia sit actus quidam, non potest materia conuenire nisi per formam. Secundo, quia existentia est posterior actus, si comparatur ad essentiam: ergo supponit essentiali actum: hic autem actus est forma. Tertiò, quia esse substantiale est esse completum ac perfectum: ergo per se non debetur nisi naturae completae, & formali: ergo tantum debetur formae, vel ratione formae.

Addit vero Durandus, etiam si dicatur existentia non distinguui in re ab essentia, nihilominus asserendum esse, formam esse causam formalem existentiae actualis materiae: nam licet essentia sit sua existentia id tamen intelligi debet cum proportionem, nam essentia in potentia erit existentia in potentia, & essentia actualis erit existentia actualis: ergo sola forma erit actualis existentia, qua formaliter fit in materia. Atque ex hac opinione vtrouis modo explicata sequitur, materiam naturaliter pendere à forma in tota sua entitate, ita ut non possit sine illa manere, quia non potest manere sine existentia: sed non habet existentiam, nisi à forma, & per formam, à qua ipsa existentia pendet: ergo. Quo etiam fit, ut mutata forma mutet materia existentiam, quamuis sub diuersis formis & existentibus, eadem essentia materiae conservetur. An vero tanta sit haec dependentia, ut à Deo suppleretur non possit sine forma, dicemus sectione sequenti.

V.

Secunda opinio omnino contraria est, formam non dare esse materiam, neque esse propriam causam eius. Ita tenet Henricus quodlibeto 1. q. 11. & in eam sententiam citatur Auicenna lib. 6. Metaph. & eandem tenet Scotus in 2. distinct. 12. q. 2. in fine, & Gregorius ibi quæst. 1. ar. 2. ad 1. Aureoli, & quæst. 2. art. 3. Fundamentum est, quia materia habet suum proprium esse, quod formaliter à nulla causa recipit, cum sit esse simplex, & partiale, ac conditinctum ab esse, quod dat formam, sed habet illud effectiue à solo Deo & secundum illud esse supponitur materia formæ absolute & simpliciter ordine naturæ: ergo nullo modo illud esse causatur à forma, sed completur vel actuatur per formam.

VI.

*Qui asse-
rat quod
modo mate-
riam sine
forma esse
posse natu-
raliter.*

Quod si contra hanc sententiam inferas, materiā naturaliter posse esse sine forma, quandoquidē forma non est causa eius, quidam respondent concedēdo sequelam, quod videtur sensisse Marfil. in 2. quæ. 9. ar. 2. dum asseuerat in principio creasse Deum materiam rerum generabilium sine vlla forma substantiali, & post aliquod tempus illam formasse. Quod etiam placet Gabrieli in 2. distinct. 12. quæstione 1. & 2. & videtur aliquando placuisse Augustino libro 1. de Genes. contra Manichæos capite quinto & septimo, & libro 12. confess. cap. 8. Si autem id Deus fecit in creatione mundi, existimandum est, non esse præter naturas rerum, quia ut Augustinus annotat in principio expositionis Genes. Deus tunc non est operatus ut miraculorum opifex, sed vt author natura. Neq. ab hac opinione videtur dissentire Henricus supra, dum ait materiam secundum communem cursum naturæ, non posse explicari omni forma, quia non fuit vnus rei corruptio, quin sequatur generatio alterius. Si ergo fieri posset corruptio naturaliter sine generatione alterius, quantum est ex parte materiæ, naturaliter maneret sine forma. Quod de facto ita accidisse in morte Christi tenet Marfilius in 3. quæst. 3. art. 1. & quæst. 13. artic. 1. & probabile existimat Henricus quodlib. 1. quæst. 4. imo & verum, quantum ad hoc, quod ibi facta est separatio vnus formæ sine introductione alterius: quod tamen fuisse in Christo singulare, & præternaturale sentit in quod. 2. quæst. 2. ad 4. At vero Scotus naturale esse putat in qualibet morte hominis, præsertim violenta, imo & aliorum animantium, vt patet in 4. dist. 11. quæst. 3. Hi tamen nō dicunt in eo casu manere materiam siue forma absolute, sed sine forma specifica, & cum forma corporeitatis, quam ipsi ponunt. Alii vero distinctione vtuntur: dicitur enim naturale, vel secundum particularem, vel secundum vniuersalem naturam: aquæ enim secundum priuatam conditionem non est naturale ascendere, tamen ad replendum vacuum, est hoc illi naturale secundum propensionem vniuersalis naturæ. Sic (inquiunt) materiæ secundum priuatam naturam non repugnat conferuari sine forma, si illa priuetur: at verò ex debito ordine naturæ vniuersalis id fieri non potest, quia si repugnat dari vacuum in locali spatio, multo magis in capacitate & potentia materiæ. Alii tandem dicunt etiam secundum particularem conditionem suæ naturæ non posse materiam esse sine forma, licet forma non sit propria causa eius, nisi omnis conditio necessaria ad existendum, causa dicatur. Et hic modus dicendi propinquius videtur ad veritatem accedere.

Questionis resolutio.

VII.

Dico ergo primo: Forma non est propria causa materiæ, dans illi formaliter proprium esse quo materia existit. Probatur, quia forma non dat materiæ illam partialem entitatem essentialem, quam in se habet, vt supra ostensum est, quamque retinet sub omnibus formis: sed illa entitas includit suam particularem existentiam distinctam ab omni existen-

tia proueniente formaliter à forma: ergo. Maior patet, tum quia illa entitas materiæ quoad proprium esse essentialem partiale, est simplex & conditincta à forma: tum etiam quia supponitur ad formam & inuariata manet, quoad illud esse sub quacunque forma, vnde etiam auctores primæ sententiæ aiunt, formam constituere cum materia vnā essentiam completam: non vero dari illi suum proprium esse essentiale materiæ: quod potius supponitur: ergo non potest forma esse formalis causa propria & intrinseca illius esse materiæ. Dico autem propria & intrinseca, quia extrinsece per modum termini dici potest, hoc esse materiæ sumi à forma: quia essentia materiæ constituit in aptitudine ad formam, sed hic respectus non est ad formam vt actum informantem, sed aptitudinem. Vnde eadem specificatio maneret in materia, etiam si esset sine forma. Minor autem probatur, quia esse reale essentia, si actuale sit, id est, extra causam suam efficientem, intrinsece est esse existentia, vt latè infra probabitur, tractando de esse & essentia; sed materia vt supponitur formæ secundum proprium esse essentialem partiale, habet esse actuale prout distinguitur ab esse potenciali obiectiuo, quia sine huiusmodi esse non posset esse verum ac reale subiectum transformationis & formæ: ergo. Et confirmatur ac declaratur, nam Deus eadem actione, qua creauit ac conseruauit materiam sub prima forma, conseruat illam sub omnibus formis, quæ postea succedunt: ergo illa actio Dei terminatur ad aliquod esse materia, quod manet idem sub omnibus formis: nam creatio, & conseruatio illi respondent, terminatur ad aliquod esse, & non potest actio permanere eadem, nisi terminus sit idem, ergo illud esse non datur formaliter à forma, nam esse quod dat formam, variatur, variata forma: illud autem esse est esse existentia, quia est esse temporale, & actuale extra causam efficientem: ergo.

Quocirca Durandus non loquitur consequenter, dum ait, etiam si esse non distinguatur ab essentia, materiam habere esse à forma in formante. In æquiuoco autem laborat, cum ait, materiam tantum habere essentiam in potentia, & ideo ex se solum habere esse in potentia: nam materia secundum se habet in potentia essentiam formæ, vel compositi: essentia autem materiæ non habet in potentia, sed in actu, hoc ipso quod creata est: aliud est enim materiam esse essentialiter potentiam, aliud esse tantum essentia in potentia. Primum namque est in vniuersum verum, etiam de materia, actu existente, quia in eo nihil aliud significatur, quam materiā esse essentialiter subiectum, vel potentiam receptiuam. Secundum verò falsum est de materia actu creata, etiam prout preintelligitur formæ: nam licet essentia materiæ ex se, id est, remota efficientia, solum sit in potentia, quod commune est omni essentia creatæ, tamen per suam creationem sit essentia in actu, licet partialis, & potentialis subiectiue: ergo vt sic habet suum esse existentia proportionatum: illud ergo non manet formaliter à forma. Sed de hoc puncto, id est, de existentia materiæ, plura inferius.

Dico secundo: Nihilominus materia pendet in suo esse aliquo modo à forma, quatenus naturaliter esse non potest sine illa, non solum ex ordine vniuersalis naturæ, sed etiam ex debito, & indigentia formæ propriæ & peculiaris naturæ ipsius materiæ. Prior pars recepta est frequentius à Philosophis & Theologis, qui hac ratione dicunt esse mutuam connectionem ac necessariam inter materiam & formam materiale, vt videre licet in auctoribus citatis, & Auicenna 2. Metaphysicæ, c. 2. & 3. Comment. 1. Physicæ, comment. 56. & lib. 2. comment. 13. Themistio 1. Physicorum digress. vlt. Plotino Aenead. 3. li. 6. c. 14. goncin. 5. Metaph. q. 1. Et probatur ratione, quia entitas materiæ esset otiosa in rerum natura, maneret sine forma: nullam enim operationem exercere posset.

let: hoc autem abhorret à natura: ergo est contra ordinem naturæ vt materia sit sine forma. Hæc ratione videntur multi: non tamen videtur efficax, quia, licet frustra sit in natura quod non est aptum ad aliquod munus naturæ, non est tamen frustra, nec simpliciter otiosum, quod ex se aptum est ad exercendum aliquod munus, ad quod à natura est institutum: quavis interdum illud non exequatur: Sic ergo, quamvis materia maneret aliquando sine formâ, non esset otiosa in natura, quia de se esset apta ad recipiendam illam, si adesset agens qui illam introduceret, & per accidens contingeret quod illa careret, quia fortasse agens qui disponebat ad illam introducendam, prius ab illius dispositionem necessariam ad alterius conseruationem, quam potuerit alteram introducere. Sicut Scotus fieri putat in morte hominis, vel alterius animalis, nec propterea manet otiosum cadaver, aut maneret materia, præsertim, quia paulatim iterum disponi poterit, vt aliam formam recipiat.

X. Vnde non videtur etiam efficax ratio, quæ reddit solerem continuam successione generationis & corruptionis, tum, quia non est certum ad omnem corruptionem immediatè, & in eodem instanti sequi generationem, vt ex dicta opinione Scoti patet: nam licet natura per se nō intendat corruptionem, sed generationem: fieri tamen potest, vt res corrumpatur prius quam altera generari possit. Quare quod Arist. dixit, nempe: *Generatio vnius est corruptio alterius*, fortasse non conuertitur, vel intelligendum erit, per se loquendo, licet ex accidente possit deficere.

XI. Alia ratio fieri solet, quia, quod non est aptum per se operari sine alio, neque etiam est aptum per se esse sine illo: materia autem natura sua nihil operari potest sine forma: ergo natura sua indiget forma vt existat; nec potest esse sine illa. Sed interrogo, an sit sermo de operatione propriè sumpta, quæ dicit habitudinem ad principium efficiens: & hoc modo non est ad rem: nam materia nec sub forma, nec absque forma, potest habere aliquam operationem. Vel operatio sumitur latè pro quacunque causalitate: & sic falsa est assumptio: sæpe enim indiget vna res consortio alterius ad causandum, & non ad existendum, vt intellectus agens indiget consortio phantasiæ ad abstrahendas species, & tamen manet sine phantasia, & non censetur esse otiosus, etiam si tunc pro eo statu nō exerceat suam operationem. Anima enim rationalis indiget cōsortio corporis ad exercendam causalitatem formalem: non verò ad existendum, & sic de aliis: sic ergo materia poterit indigere consortio formæ ad exhibendam causalitatem materiale, etiam si ad existendum eam non requirat. Et ratio est, quia causalitas dicit relationē vel habitudinē transcendentealem, & ideo postulare potest consortium alterius: res autem à qua est causalitas, potest esse magis absoluta, & non actus, sed aptitudine tantum societatem alterius postulare.

XII. Ex quo etiam infirma videtur alia communis ratio, quæ maximè à priori esse censetur, nimirū, quod materia est pura potentia, & ideo ab actu formæ natura sua pendere debet. Quod enim dicitur pura potentia, non excludit actualem entitatem ipsius materię, sed dicit solum talem esse illam entitatem, vt essentialiter sit potentia, & ad munus recipiendi & sustentandi formam omnino instituta: non est autē de ratione potentię, generatim loquendo, vt semper sit sub actu suo: vnde ergo ostenditur hoc esse de ratione huius potentię? nam ex eo quod sit potentia substantialis, id colligi non potest: cum inde potius habeatur esse potentiam subsistentem, quamuis partialiter & incompletè, & ideo posse per se existere, etiam si causalitatem suam actu nō exerceat, sicut manet rationalis anima, quia subsistens est, licet actu non informet.

XIII. Difficile ergo videtur rationem reddere, quæ co-

vincat hanc naturalem dependētiā materię à forma, propter quod hoc tempore multis, præsertim in Italia, placet, materiam quidem nūquam separari à forma propter necessarium ordinem agentium naturalium tum inferiorum, tum coelestium, quæ semper introducunt vnam formam recedente alia, non verò propter intrinsecam dependentiam materię, quam dicunt non fore in nihilum redigendam, si ablata vna forma, altera in illa non succederet, sed naturaliter cum sua entitate & existentia fuisse permāsuram. Nihilominus recedendum nō est ab antiqua & communi sententia, quam his modis explicare & confirmare possumus. Primo non est verisimile materiam hanc inferiorem esse magis independentem à forma rei generabilis indefinitè sumpta, quam sit vnaquæque materia cœli à propria forma, cum sit illa minus perfectā, sed vnaquæque materia cœli pendet naturaliter à sua forma: ergo. Secundo non est verisimile materiam hanc magis pendere à formis accidentalibus, quam à substantiali, cum per se primo ac principaliter illam respiciat, sed ita pendet materia hæc ab accidentali forma, vt naturaliter esse non possit sine omni illa, vt est euidens saltem de quantitate.

Ratio probans materiam naturā ratiōe sine forma esse non posse.

XIV. Tertiò, physica coniectura optima est, quod hæc materia ad hoc est instituta, vt semper sit sub aliqua substantiali forma, & ab eis nunquam separetur: ergo signum est, talem etiam esse factam, vt ex natura sua postulet consortium formæ, vt esse possit. Antecedens patet inductione, quia materia à principio in sua creatione sub formis condita fuit. Neque sententia contraria verisimilis est: nam Scriptura non dicit Deum in principio creasse materiam, sed cælum & terram: quas voces non posse de materia exponi supra ostensum est. Et quamuis Augustinus interdum videatur in hoc dubitasse, tamen 12. Confess. cap. 17. & 29. priorem opinionem reprobatur, & concludit, materiam non tempore, sed natura tantum antecessisse formationem suam: vnde 13. Confess. cap. 33. ita concludit: *Cum aliud sit cœli & terre materies, aliud species: materiem quidem de omnino nihilo: mundi autem speciem de informi materia: simul tamen vtrumque fecisti, vt materiam formā, nulla moræ interapedine sequeretur.* Idem habet libro 1. de Genesi ad liter. capite 19. & libro 4. capite 22. & sequentibus, & 1. de Ciuitate capite 7. Post illam verò primam creationem nunquā materia caruit omni forma: atque ita sunt ab authorē naturæ dispositæ causæ naturales, vt nūquam possit vna forma materiam deserere, quin introducat alia. Illud enim axioma Aristotelis 1. de Gener. tex. 17. *Generatio vnius est corruptio alterius*, in vniuersum verum est, nec potest de generatione verum esse, quod semper ad eā sequatur corruptio, nisi etiā ad corruptionē vnius semper sequatur generatio: nā si aliquid corrumpere, & nulla fieret generatio, postea ex eadē materia posset aliquid generari sine noua corruptione. Cumque verum sit in materia nullam esse formam corporeitatis, vel genericam, vt in superioribus ostensum est, & inferius etiam ostendemus, necessarium est vt semper formæ forma succedat in materia, nisi dicere velimus de facto sæpe manere materiam sine forma vlla substantiali cum solis accidentalibus. Quod absurdum & paradoxum esset in Philosophia.

XIV.

August. 12. demasserunt materiam nullam ratione rem informem præcessisse.

XV. Est ergo facta hæc materia, vt perpetuo sit sub forma: ergo verisimile est, talem esse factam, vt forma indigeat ad existendum. Probatur cōsequentiā, quia non repugnat intelligere materiam primam talem esse, vt hanc habeat indigentiam, quod recte probat illa ratio, quia, scilicet, est pura potentia, id est, imperfecta in entitate sua, & incompleta ac potentialis: cum his enim imperfectionibus non pugnat, imo optimè quadrat illa indigentia & dependentia. Nec refert, quod partialiter sit subsistens: nam subsistentia excludit dependentiam à subiecto, non verò ab actu.

XV.

actu, seu forma. Neque est in hoc comparanda materia cum anima subsistente, quia hæc longe est perfectior & actualior, & simpliciter immaterialis. Igitur hic modus dependentiæ non solum non repugnat, verum etiam est maxime consentaneus entitati materiæ & imperfectioni, ac muneris eius: ergo verisimilius est talem esse naturam materiæ. Denique in rebus Physicis quod semper eodem modo euenit & non aliter, verisimile est esse naturaliter necessarium, sed materiam esse sub aliqua forma, naturaliter semper ita euenit: ergo est ex necessitate naturæ, & non ex necessitate formæ, quia quando vna forma perit ex defectu dispositionum, nulla erat necessitas ex parte alterius introducendi nouam formam. Neque item tribui potest necessitas soli extrinseco agenti proximo, quia sepe etiam nullum est priuatum agens à quo sit talis forma: ergo illa necessitas fundatur in indigentia intrinseca ipsius materiæ. Nec satis est dicere, hunc effectum esse naturalem ex ordine vniuersi, seu ex vniuersali natura, aut necessitatem illam oriri ex causis agentibus vniuersalibus, quæ semper sunt paratæ ad introducendam aliquam formam quando particulae deficiunt: nam hæc institutio naturæ in propria indigentia materiæ fundata est: nam quia ad vniuersale bonum pertinebat, vt nulla materia portio vnquam deficeret, aut in nihilum redigeretur, ideo natura prouidit, vt nunquam posset priuari omni forma, sed recedente vna, semper succederet alia, quia hoc necessarium erat, vt materia posset perpetuo naturaliter conseruari. Alioqui cur natura fuisset, tam prouida in huiusmodi formarum successione præsertim quando forma, quæ succedit, per se non erat necessaria ad expellendam aliam, quæ ob defectum dispositionis, vel organizationis necessaria recedit.

XV.

Nec est simile quod afferebatur de ascensu aquæ ad replendum vacuum: nam vniuersalis natura euitat vacuum propter perfectam vnitatem, & integritatem vniuersi, & propter necessitatem actionis, & influentiæ, & non propter commodum alicuius priuari entis. Quod verò materia esset quasi vacua omni forma, si nihilominus conseruari posset, & pati ac disponi ad generationem, & in suo genere ad illam concurrere, nullum esset incommodum naturæ vniuersali: Igitur vniuersalis ratio nulla est alia, nisi materiæ conseruatio. Fateor totum hunc discursum supponere de facto nunquam manere, materiam sine substantiali forma, & inde colligere hoc, puenire ex indigentia materiæ, quam collectionem existimo satis esse probatum: antecedens autem dubito an satis demonstratum sit: nam substantialem formam non experimur nisi ex effectibus, vel accidentibus: sæpe autem nullus est effectus, qui euidenter ostendat introductionem nouæ formæ post recessum prioris, vt in morte hominis, & ideo Scotus & alii negant, ibi introduci nouam formam, quamquam ne fateatur manere materiam sine forma, ponant formam corporeitatis vel missionis, qua seclusa nos non alia ratione conuincimus, in omni morte vel corruptione introduci nouam formam, nisi quia aliàs materia maneret sine forma, & ita videmur in his probationibus circulum committere. Sed licet verum sit, ex effectibus id non euidenter demonstrari, nihilominus adeo est illud axioma consentaneum naturis rerum, & fini, & vsui, ac imperfectioni materiæ, vt vnanimi omnium fere antiquorum & recentiorum Philosophorum consensu, tanquam certum & indubitatum sit receptum, quod satis est ad philosophicam rationem fundandam.

Qualis sit dependentia formæ à materia.

XVI.

Duplex dependentia
modus.

SEd explicandum superest, qualis sit hæc dependentia; duobus enim modis potest intelligi, scilicet, vel tanquam à propria causa, vel tanquam à co-

ditione ita necessaria vt absque illa non debeatur effectui rei, quos duos modos dependentiæ explicui latè in 1. tomo. 3. p. disp. 8. sect. 1. & illos videtur significare Fonseca. Metaphys. cap. 2. quæst. 3. sect. 1. dum ait intelligi posse materiam pendere à forma, vel à qua à vera causa, vel tanquam à quodam concomitante, & sect. 3. videtur de eisdem facere mentionem, dum ait accidentia conseruare substantiam non à priori, sed à posteriori. Dubitari ergo potest, quo ex his modis pendeat materia à forma. Et quidem quod sit tantum dependentia à posteriori, & à conditione necessaria, videtur probabiliter persuaderi. Primo quia hic modus dependentiæ possibilis est: nam forma substantialis, vel eius vnio ad materiam, atque adeo totum compositum pendet hoc modo ab aliquibus formis accidentalibus, tanquam à dispositionibus necessariis via conseruationis vt aiunt, non quia sint propriæ & directæ causæ talis conseruationis, sed, quia sunt dispositiones ipsæ connaturales, vt sint etiam necessaria: ergo maiori ratione potest materia habere talem dependentiam à forma tanquam à necessaria dispositione, & primaria. Item hoc modo pendet materia à quantitate: ergo & potest pendere à forma. Deinde hic modus est sufficiens ad saluandum omnia, quæ dicuntur de dependentia materiæ, à forma, & omnes rationes factæ non amplius probant. Est etiam modus facilis & clarus: nam iuxta illum facile conciliantur duæ conclusiones positæ. Recte etiam intelligitur, quo modo vicissim pendeat forma à materia, & materia à forma: vna enim dicitur pendere à priori, & altera à posteriori: vna tanquam à vera causa, & alia vt à conditione concomitante.

At verò iuxta alium modum difficile intelligitur hæc mutua dependentia: nam cum materia simpliciter supponatur formæ, vt hæc ex illius potentia educi possit, vix intelligitur quomodo à priori possit materia à forma dependere. Et explicatur amplius, augeturque difficultas ex eo, quod materia sit per veram creationem & per eandem actionem permanentem conseruatur: ergo non pendet in suo fieri à forma vt à vera causa, quia ad creationem nulla causa creata concurrere potest naturaliter. Respondent aliqui hoc esse verum de causa efficiente; nō verò de aliis generibus causarum: nam creatura non potest esse causa efficiens creationis: potest tamen esse causa finalis, vt per se constat, & eadem ratione potest esse causa formalis, imo & materialis nam cum creatur totum, partes concurrunt ad esse & fieri illius in genere causæ materialis. Sed ommissa causa finali, cuius causalitas habet peculiarem rationem, propter ea quod nō est per realem, ac propriam motionem distinctam ab actione causæ efficientis, & ideo non prærequirit reale esse in re, quæ talem causalitatem exercet: de causa materiali videtur concursus eius directè repugnare cum creatione vt est propria & vera creatio: quod facile patet ex dictis supra de educatione formæ de potentia materiæ, & latius ostendetur infra in propria disputatione de creatione. Loquor autem de creatione, vt propriè creatio est: nam sub ratione concreationis potest habere dependentiam à causa materiali, vt supra declaratum est tractando de materia celi quia concreatio, vt sic ordine naturæ supponit creationem, & ideo potest habere aliquam dependentiam. Eadem ergo ratione creatio vt sic non potest habere dependentiam à causa formali, quia causa formalis supponit materiale, licet concreatio possit habere dependentiam à forma, vt supra loco citato declaratum est. At verò materia rerum generabilium verè ac propriè creatur, & non concreatur propriè, id est, non producit per vnam & eandem actionem qua creatur totum: ergo ad creationem eius non potest forma concurrere, vt vera causa.

Quod in hunc modum declaratur & cōfirmatur ex di-

ex dictis: nam creatio huius materie rerum generabilium & inductio forme, sunt actiones distincte, tam nunc in materie conseruatione, & rerum generatione, quam in prima rerum sublimitariu productione: sed actio inductiu forme non potest esse vera causa actionis creatiu materie: ergo multo minus forma, quæ per illam actionem inducitur, potest esse vera causa creationis materie. Minor patet, tum quia inductio forme supponit omnino creationem materie, seu materiam creatam, nec intelligi potest quod forme inductio aut vnio supponatur in aliquo genere cause ad creationem materie, quia inductio forme vt sic, dicit habitudinem transcendentalem ad materiam iam creatam, vnde sicut relatio nō potest præsupponi ad terminum in aliquo genere cause, ita neque inductio forme ad creationem materie.

Tum etiam, quia aliās penderet per se creatio, vel conseruatio materie ab educatione forme: ergo & ab agente educente formam, atque ita agentia naturalia vt veræ cause effectiuæ conseruarent materiam. Vnde etiam fieret, vt quoties forma imputatur in materia, mutaretur actio qua materia conseruatur à Deo, quia mutata dependentia actionis, mutatur actio, eo quod ipsa sit essentialiter dependentia, vt infra declarabimus. Consequens autem est falsum, quia materia vtest primum subiectum generationis, est quid ingenerabile, & incorruptibile, quia supponitur generationi & corruptioni: ergo eadem ratione est quid immutabile quoad actionem per quam fit, & conseruatur, quia supponitur facta & conseruata: alioqui per quamcunque generationem entis naturalis concrearetur materia, vel ita se haberet ac si concrearetur, quia per nouam actionem terminatam ad totum ipsa conciperet conseruari: quod plane repugnat actioni agentis naturalis: aliās eadē ratione dici posset per talem actionē comproduci semper nouam materiam. Igitur creatio vel conseruatio materie: non pender ab educatione forme tanquam à propria causa, vel actione per se: ergo multo minus potest pendere à forma, tanquam à vera causa cum forma sit in omni genere cause posterior actio, per quam educitur de potentia materie: ergo de primo ad vltimum, neq materia ipsa potest pendere à forma vt à causa per se, sed solum vt à causa vel conditione concomitante, & bene disponente ac actualitate ipsam materiam.

Non desunt tamen argumenta quibus suaderi videatur materiam posse dependere à forma vt à propria causa, quæ per informationem suam continet illam in esse. Et præsertim, quia forma substantialis materialis pender à materia vt à propria, & per se causa in suo genere, ergo & e contrario materia pender à forma, tanquam à vera causa, quia licet non sustentet illam vt subiectum, potest vt actus continere illam. Nam sicut actus effectiuus tenet effectum in esse per suam causalitatem, ita actus informantius potest modo sibi proportionato continere suū subiectum in esse: ergo ita comparatur forma substantialis ad materiam. Probatur consequentia primo, quia forma materialis, est perfectior & actualior, quam materia: ergo magis per se pender materia à forma, quam forma à materia. Secundo quia non repugnat huiusmodi mutui nexui inter materiam & formam tanquam inter causas, quæ mutuo & vicissim sunt sibi per se cause. Quod patet tum illa generali ratione, quod in diuersis generibus causarum non repugnat mutua prioritas: tum etiā quia in celo videtur esse hec mutua connexio inter materiam & formam: nam & in fieri & in esse mutuo & per se pendent, vt supra dictum est, ita vt concreatio vnus per se pendeat à concreatione alterius, & conuerso. Ex quo exemplo potest sumi tertia ratio, quia materia celi pender à sua determinata forma, vt à causa per se ergo & materia horum inferiorum pendebit eodem modo à forma generabili, licet indefinitè. Patet

consequentia, quia perfectior est materia celi: ergo si illa pender, multo magis alia.

Sunt quidem hæ rationes probabiles, & ita potest vtraque pars ex dictis probabiliter sustineri, mihi tamen (vt verum fatear) prior videtur intelligibilior & facilior, & si attente ponderentur rationes factæ, facilius possunt posteriores dissolui. Quod munus lectori relinquo, quia res facilis videtur, & quia infra explicando quomodo cause sint sibi inuicem cause radicitus declarandum est, quænam prioritas mutua possit inter aliqua duo intercedere & quæ non possit, ex cuius intelligentia maxime pender præsens resolutio.

SECTIO IX.

Utrum tanta sit dependentia materia à forma, ut sine illa nec per diuinam potentiam conseruari possit: & e conuerso.



Uo ad dependentiam forme à materia, solum potest dubitari de materiali forma: nam de immateriali constat, non solum virtute diuina, sed etiam naturaliter posse manere sine materia. De reliquis autem formis Aristoteles & Philosophi fortasse negarent posse villo modo subsistere separatas à materia, quia existimarent dependentiam, & in hærentiam actualem in materia esse illis essentialem. Catholici autem, qui credimus Deum conseruare accidens sine subiecto, dubitare non possumus (licet moderni quidam dubitent) quin possit etiam Deus substantialem formam materialē, sine materia conseruare, quia maior est dependentia accidentis à subiecto, quatenus accidens minus habet entitatis & actualitatis, quam forma substantialis. Vnde omnes doctores statim citandi in hoc conueniunt de forma substantiali, quamuis de materia dissentiant.

Tractatur prior opinio de materia.

DE materia igitur est prima sententia negans, posse Deum conseruare materiam sine forma substantiali. Tenet Diuus Thomas locis citatis sectione præcedente cum aliis sectatoribus eius ibi citatis, & præterea quodlibet 3. articulo 1. indicat; eam Magister in 2. distin. 12. cap. 5. vbi solum dicit, materiam in principio creationis non fuisse prius carentem omni forma, quia tale aliquid corporeum existere nō potest, quod nullam habeat formam: non tamē declarat, an loquatur de potentia absoluta, vel iuxta naturas rerum. Et eodem modo videtur loqui Hugo Victorinus 1. de sacramen. part. 1. cap. 4. Apertius loquitur Bonauent. dicta dist. 12. art. 1. quæst. 1. Hærenus quodlib. 6. quæst. 1. Aegid. in principio sui Hæxameron, cap. 1. & 2. landun. 1. Phys. quæst. 26. Zimar. Theorem. 15. Fundamentum præcipuum huius sententiz est, quod materia formaliter ex se nullam habet existentiam, sed eam recipit formaliter à forma: Deus autem non potest dare effectum formalem sine causa formali, neq etiam potest conseruare materiam sine existentia, ergo non potest conseruare materiam sine forma. Nec refert, quod esse existetiz iuxta hanc sententiam non sit primarius effectus formalis forme, tum quia, licet ob hæc causam possit per diuinam potentiam manere effectus primarius sine hoc secundo: tamen è conuerso non potest secundarius dari sine primario: nam ab eo essentialiter pender, tum etiam quia ad primarium effectum forme pertinet esse vel constituere proximum susceptiuum existentiz, qui effectus nunquam separatur ab ipsa: nam etiam in Christi humanitate illum habet: non potest autem Deus constituere a-

XX.

Indicium de questione nec de rationib. vt inq. propositum.

I.

Rationalis forma naturaliter separata possunt conseruari.

II.